



SUPPLEMENTUM  
AD  
TRACTATUM II.  
DE  
MATRIMONIO.  
CAPUT I.

*De Natura, Varietate, & Origine Matrimonii.*

SUMMARI A.

1. Matrimonium inter fideles non potest contrahi in ratione solius contractus. 2. Proponitur ex adverso paritas de Ordine Sacro. 3. & seqq. Redditur multiplex disparitas.

QUÆSTIO Unica.

*Utrum à fidelibus matrimonium in sola ratione contractus iniri possit, sine ratione Sacramenti?*

1. Utriusque sententiæ momenta exposui in hoc cap. à num. 16. & in num. 22. negativam elegi, ac in num. seqq. rationes adversariorum dissolvi.
2. Labet hic unam duntaxat paritatem, quam recenter in Authore quodam adversante reperi, proponere. Licet Ordini Sacro sit annexum votum castitatis, nihilominus, si quis illum suscipiat, positivè excludens votum, & simpliciter nolens vovere castitatem, validè suscipit Ordinem Sacrum sine ratione vel emissionem voti: ergo etiam, licet contractui matrimoniali sit annexa ratio Sacramenti à Christo, nihilominus valebit, si contrahentes velint rationem contractus, non verò Sacramenti.
3. Paritatem hanc neutiquam quadrare, ita ostendo: partim quia, qui Ordinem Sacrum cum positivè exclusionem voti castitatis suscipit, secundum multos, quibus subscribit Clariss. P. Benedictus Schmier ad tit. Qui Clerici vel vow. post num. 5. saltem ex præcepto Ecclesiastico obligatur ad castitatem, dum po-

sitiva hæc exclusio est inefficax, & qui vult Ordinem Sacrum, debet etiam velle continentiam, ex dispositione Ecclesiæ inseparabiliter annexam: partim quia, si etiam transmittatur, quod de Voto castitatis assertum est, non licet exinde ducere argumentum ad matrimonium, ex quo Votum castitatis ex solo Jure Ecclesiastico connexum est Ordini Sacro, potestque etiam ab Ecclesiâ relaxari; ratio autem Sacramenti cum ratione contractus in matrimonio autoritate & Jure Divino ita est connexa, ut neque ab Ecclesiâ separari possit: partim quia votum castitatis in Ordine Sacro non consideratur tanquam pars constituens, sed effectus consequens; Sacramentum autem in matrimonio inter fideles est pars constituens, faciens contractum Sacrum, & distinguens matrimonium Christianorum à connubio Ethnicorum. Aliam adhuc disparitatem suggerit Clariss. D. P. Placidus Böckn ad tit. de Sponsal. & Matrim. p. 2. sub num. 14. apud quem etiam aliæ objectiones, earumque solutiones reperiuntur.


CAPUT II.

*De Subjecto, Materia, & Forma Matrimonii.*

SUMMARI A.

1. Impleta conditione, matrimonio adjectâ, Parochus & testes noviter advocari vel ammoneri debent. 2. & seqq. Asseruntur quatuor rationes oppositæ. 6. & seqq. Quaternâ responsione diluuntur. 11. Una obiectio contra nostram assertionem, quod matrimonium possit iniri sub conditione servandæ castitatis, attingitur. 12. & seqq. Refellitur.

QUÆ-



QUÆSTIO I.

*An, si matrimonium sub conditione honesta ineatur, positâ conditione Parochus aut testes noviter advocari debeant?*

1. Propositis argumentis utriusque sententiæ, in hoc cap. num. 95. cum distinctione respondi, quod, si Parochus & testes aliunde sciant existentiam conditionis, novâ advocacy opus non sit; si verò non sciant, saltem informari debeant.
2. P. Pichler ad tit. de Condition. appof. sub n. 3. absolucè rejicit hanc distinctionem, adductis quatuor rationibus, nempe quia I. finis Tridentini Concilii adimpletur, si Parochus & testes solius contractus tempore adsint: nec enim Ecclesiâ unquam permittet, ut novum matrimonium contrahatur, nisi plenè constiterit de non impleta conditione, aut revocatione consensus eâ pendente. II. quia non requiritur, ut purificatio conditionis sit cognita ipsis sub conditione contrahentibus; sicque multò minùs, ut sit cognita Parocho & testibus. III. quia Parochus & testes non debent esse præsentés, quando procuratori datur mandatum alienò nomine contrahendi; neque requiritur, ut illud cognoscant, an sit legitime datum, vel non revocatum; consequenter de implemento conditionis quoque certificari non debent. IV. quia non est necesse, ut matrimonium, invalidè contractum, renovetur per verum, & novum consensum coram Parocho & testibus: ergo idem de conditionis existentia interendum.
6. Rationes istas in nostra suppositione nihil virium habere, quantocumque manifestum fiet. Ad I. Resp. finem Tridentini non tantùm esse, ut Parochus & testes sint præsentés

tempore contractus, sed etiam ut constet de valore matrimonii: atqui, si contractus fiat sub conditione, & Parochus ac testes de ejus implemento nullam habeant notitiam, non constat ipsis de valore matrimonii: quàm diu enim conditio pendet, dici non potest, an matrimonium potius valeat, quàm non valeat, sed expectandus est eventus. Et hoc ipsò, quod Ecclesiâ non permittat, ut novum matrimonium contrahatur, nisi plenè constiterit, sitne conditio impleta nec ne; suapte sponte consequitur, Parochum & testes de conditionis purificatione admonendos esse. Ad II. Resp. non requiri quidem, ut contrahentibus purificatio conditionis sit cognita in ordine ad valorem matrimonii; requiri tamen ejus cognitionem in ordine ad usum & effectum matrimonii, qui ipsomet conjuges concernit, uti v. g. est cohabitatio & actus similes. Ad III. Resp. licet necessarium haud sit, ut testes cum Parocho sint præsentés, quando mandatum datur procuratori, attamen esse necessarium, ut de mandato procuratorio ipsis constet: quomodo enim attestari poterunt, matrimonium esse per procuratorem contractum, si, quod procurator sit, non exhibitò mandato, notitiam non habeant? Ad IV. Resp. ex principio incerto certam conclusionem erui non posse: jam verò in ancipiti hæret, utrum Parochus & testes rursus adesse debeant, quando matrimonium, antehac invalidum, denuò restauratur? ubi magis in affirmativam inclinavi in hoc lib. tr. 3. cap. 5. num. 163.

QUÆSTIO II.

*An matrimonii substantiæ repugnet conditio de servanda castitate?*

11. Non repugnare, semper erat mea opinio, satis munita rationibus in præf. cap. à num. 119. Ne verò una ex principalibus, quam retuli in num. 122. minoris roboris esse videatur, obviandum est objectioni contrariæ, quâ dicitur, in matrimonio non posse separari usum seu usumfructum à dominio seu proprietate: cum aliàs quis posset cum duabus v. g. foeminais contrahere, uni dandò jus radicale seu proprietatem & dominium in suum corpus; alteri verò jus actuale, seu usum & usumfructum. Obviandum, inquam, huic objectioni, & respondendum est, posse in matrimonio ita proprietatem ab ulu & usumfructu separari, ut v. g. uxor habeat dominium in corpus mariti absque usu & usumfructu actuali, non verò ut penes unam uxorem sit proprietatem, penes alteram ususfructus actualis: ex quo enim polygamia Juri Naturali & Divino adversatur, adeò ut non possit maritus duabus uxoribus dare proprietatem in suum corpus, adversatur quoque utrique Juri quasi polygamia, quâ idem maritus uni foeminae dat proprietatem, alteri verò usum aut usumfructum sui corporis. Nempe matrimonium ita ex Divina & Naturali institutione comparatum est, ut non possint esse duo in carne una, sive proprietatis sive usufructuario jure; sic tamen duo in una carne jus habere possunt, ut, si non velint, non debeant necessariò jus actuale, quod obtinent, in actum secundum & exercitium redigere, sed, eò præcisò, solò jure radicali contenti sint. Plura argumenta, quæ in favorem adversæ sententiæ proponuntur, cum oppositis resolutionibus dabit Clariss. D. P. Placidus Böckn ad tit. de Condit. appof. n. 42. & seqq.



CAPUT III.  
De Effectu Matrimonii.

Vacat.

CAPUT IV.  
De Accessoriis Matrimonii.

SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. An solus consensus liberorum tollat pœnas secundarum nuptiarum? Ratio pro affirmativa.</p> <p>2. &amp; seqq. Enervatur ista, &amp; eligitur sententia negativa. 3. Refertur sententia, defendens cessationem harum pœnarum, quando vidua</p> | <p>cum consensu prioris mariti transit ad secunda vota. 6. &amp; seqq. Defenditur sententia contraria. 9. &amp; seqq. Cessant ejusmodi pœna juxta aliquos ex assensu Principis. 11. &amp; seqq. Opinio aliorum negantium statuitur.</p> |
|--|---|

QUÆSTIO I.

An solus liberorum consensus tollat pœnas secundarum Nuptiarum?

**R**atio dubitandi est: quia pœnæ secundarum Nuptiarum, quatenus concernunt favorem liberorum, hœc ipsò cessare videntur, quòd liberi, in secundas nuptias consentientes, censentur remittere injuriam, aliàs ipsis per tales nuptias inferendam. Sed quia liberi possunt in binubium, tanquam rem viduis hodie licitam, consentire, absque eo, quòd renuntient juri suo, per Leges publicas indulto; ac præterea renuntiationes sunt stricti juris, & absque consensu expresso vix admittendæ per l. sed et si 4. §. 3. ff. de quis caution. in Judio &c. verioreme cenfeo opinionem negativam, quam contra alios cum Fachineo lib. 3. contr. cap. 65. & Perezio ad tit. Cod. de Secund. Nupt. num. 20. defendunt Clariss. D. Joannes Philippus Morass in Binub. fat. cap. 6. sub num. 3. & Huberus ad tit. ff. de Secund. Nupt. num. 11.

QUÆSTIO II.

An cessent pœnæ binubentium, quando vidua de consensu prioris mariti transit ad secunda vota?

**V**olunt id Gailius lib. 2. obs. 98. num. 18. Klockius & Arnoldus Rath apud cit. D. Morass. num. 6. putantes, pœnas illas respicere favorem mariti, cui non infertur præjudicium, quando ipsemet in secunda vota per testamentum aut actum alium consentit. Verùm idem D. Morass, uti & Huberus ad cit. tit. ff. de Secund. Nupt. num. 10. cum cit. Fachineo & Perezio jure merito contradicunt: siquidem si, uti suppono, loquamur de pœnis, in favorem liberorum sancitis, non agitur de præjudicio defuncti, quod ipse remittere valet, sed de jure, liberis per Leges publicas quæsito, cui pater derogare, & ne Leges in testamento suo locum habeant, juxta l. nemo § 5. ff. de Legat. 1. efficere nequit. Et licet aliàs pater injuriam quoque, liberis irrogatam, condonare non prohibeatur; prohibetur tamen, ubi Lex resistit, & soluta per mortem omnimodâ patris potestate, injuria non in patrem sed solos liberos refunditur. Nihil opus est, ait Huberus, dicimus patrem suos liberos beneficiis Legum, quod ipse non dixit, voluisse privatos. Ipsum verò parentem binubium non posse liberis suis, etsi hæredibus, vetare, ne Legibus illis utantur, extra controversiam est.

QUÆSTIO III.

An, si nuptiæ secunda ex consensu Principis ineantur, sublata sint pœnæ?

**M**Ynsinger apud D. Morass d. l. num. 15. & Grönwegen apud Huberum d. l. numer. 10. affirmant ob textum in l. slet 10. in pr. ff. de his, qui nos. infam. Sed, ut loquitur idem Huberus, minùs justo argumento: nam à pœnis nuptiarum intra annum luctûs, de quibus d. l. concepta est, ad amissionem beneficiorum, quæ dantur liberis prioris thori, non valet consequentia. Nec aded Princeps, concedendò secundas nuptias, quidquam præter id, quod in odium illarum veramque pœnam, non quod in aliorum fovorem sit constitutum, abolere videtur.

GA.

CAPUT V.

De Matrimonii dissolutione, seu Divortio.

Vacat.

SUPPLEMENTUM

AD

TRACTATUM III.

DE

IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

CAPUT I.

De Impedimentis in genere; & Impedientibus in specie.

SUMMARIA.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. &amp; seqq. Hæretici nec de Jure, nec de consuetudine sunt liberi ab impedimentis matrimonii.</p> <p>3. &amp; seqq. Rationes adversantium. 5. &amp; seqq. Prestigantur. 8. Agitur de dispensatione in impedimentis. 9. Subjicitur aliqua formula. 10. Quis intelligatur nomine Vicarii? 11. &amp; seqq. Exprimenda nomina &amp; cognomina Orato-</p> | <p>rum. 13. Uti &amp; Diœcesis. 14. Item loci originis. 15. Declaratur angustialoci. 16. Disparitas conditionis. 17. Impedimentum cognationis. 18. Et raptus. 19. &amp; seqq. Exponitur obligatio executoris. 21. Formula dispensationis pro foro interno. 22. De illius explicatione remissivè.</p> |
|--|--|

QUÆSTIO I.

Utrum hæretici ligentur Impedimentis Matrimonii, Jure Ecclesiastico tantum introductis?

**N**emo ferè ex Catholicis hæsitabit, aut minimum quoque scrupulum habebit, quin hæretici per se ligentur omnibus Matrimonii Impedimentis, quæ ab Ecclesia sunt introducta: utpote cum, non attentâ ipsorum malitiâ & pertinaciâ, hœc ipsò, quòd jamnam Ecclesiæ per baptismum fuerint ingressi, ejus Legibus obstringantur. Ideoque cardo quæstionis in eo versatur, utrum de facto, & spectatâ hodiernâ Germaniæ facie, ab ejusmodi Impedimentis non censentur esse liberi? Quo in puncto ex principiis Juris in hoc cap. num. 24. existimavi, non ceteri liberos.

**3** In contrarium opponitur I. Ecclesiam non urgere suas Leges circa impedimenta matrimonii adversus hæreticos, utpote cum exinde plus damni quam utilitatis resultaret: eò quòd ipsorum matrimonia essent meri concubinatus & fornicationes, ac proles, exinde susceptæ, forent illegitimæ, & sic à conversione absterrentur. II. hæreticos communiter ignorare Leges Ecclesiasticas, circa matrimonium latas; adeoque sicuti ignorantes aliàs excusantur à Legis obligatione, ita & illos excusari.

Verùm ad I. Resp. Ecclesiam quidem non urgere suas Leges, quando prudenter perspiciat, & prospicit, suas minas aut fulmina non adeò curatum iri; quando autem advertit, ex facta animadversione secururos bonos effectus, & urgere Legum observantiam, & matrimonia, perperam contracta, irritare, prout ostensum in d. cap. num. 27. & seqq. Ad II. Resp. per ignorantiam Legis non tolli Legem, sed eousque, donec illa duraverit, ejus obligationem per accidens suspendi; quin 7 imò, si Leges sint irritantes, & non pœnales, quales sunt illæ, per quas impedimenta matrimonii dirimentia statuuntur, in ea sententia, quam stabilivi in lib. 1. tr. 1. à numer. 243. etiam ignorantes eatenus teneri, quatenus actus, contra Leges irritantes positi, nulli & irriti censentur.

Ee 2

QUÆ